Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1267
Quelle:
Copyright:

existentiam ejus in sepulcro et in Sacramento. Subtiliter igitur ex *Aristotelis* principiis stabilita opinione sua concludit: *Nos ergo adherentes fidei orthodoxe et modo humano uolentes philosophari secundum ea que tradidimus probabiliter incedentes secundum modum intelligentie nobis a deo concesse ostendimus, quod non conuenit ponere plures formas. In quo finem imponimus huic libro quem intitulari volumus* contra gradus et pluritates formarum. *Laus ergo sit ipsi christo* &c. L. I. c. 1. loquitur Autor *de hiis que tradidimus de statu hominum egrotorum.* Quid igitur, si *Guilelmus de Morbecka* sit, de quo supra meminimus, quique varia Medica de Graeco vertit, ut habes in *Scriptt. Ord.* T. I. p. 390. idque eo magis, quod sub rescripto, ut dixi, *Thomae* nomine, manifeste litera G. adparet.

DLXII.

R. 645 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 55. 8. sat nitide perscriptus et a. 1721. Bibliothecae Palatinae cum aliis hoc *Vol.* relatis traditus a *Thoma M. Alfano* O. Praed. inscribitur: *Opus D. Thomæ Aquinatis De Essentijs*, in calce vero *Liber de Essentia essentiarum*, quem ideo Codicibus Theologicis adnumerare visum est, quod ab *Essentia divina* tractationem orditur; hinc enim ad Physica, ad *Essentiam corporum supercelestium, elementorum, mineralium, plantarum, animalium* et *accidentium* digreditur. Licet vero mihi brevem esse per *Quetifum* et *Echardum*, qui T. I. p. 344. luculentis rationibus eum ab *Thoma* abjudicant, quas ibi vide. Init ille: *Magnifico principi ac Illustrissimo domino suo N. primogenito regis ierusalem et Sicilie — Cum prima causa et summa ex altitudine sapientie sue* &c. Pro *N.* in Codice *Coislin.* invenerunt Bibliothecarii praedicti *Roberto*, nempe *Caroli II. Claudi* filio, qui biennio post mortem *Thomae* natus fuit. In loco, quem illi excerpunt, fabuloso de *Libro Abelis* nobis *fol.* 17. p. 2. rectius legitur *Hermes*, quam *Hermogenes*; *Hermeti* enim Theurgorum et Alchimistarum Vulgus ejusmodi stupenda tribuebat. Addam duobus illorum Locis excerptis tertium, nobis *fol.* 18. *Narrauit mihi etiam quidam, quod fecerit ymaginem de stanno, secundum quod in dicto* (Abelis) *libro precipitur, Luna existente sub 2da fatie aquarij non retrograda: et scripsit nomen domini siue Intelligentie lune, et fecit illa que erant necessaria ad ymaginem, secundum quod ibi precipitur, et volens deridere puellas cuiusdam opidi, posuit dictam ymaginem in aqua et fonte sub aqua illius opidi, et omnes vrcei et vasa, que tangebant aquam, frangebantur.* An haec ab *Thoma Aquinate* expectes?

DLXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3356 XIV. Folior. 93. 8. maj. parte priori per duas columnas minutissime,